

quatenus processiones fieri nequeant more solito, sufficit collegiis, ad beneficium reductionis obtinendum, ecclesias absque cruce et solitis paramentis sacris, singulis in vestimentis non choralibus incedentibus, ecclesias in commune adire, preces in commune recitando ?

VIII.—Utrum qui, confessario in consilium non adhibito, eleemosynam præscriptam pro sua vere facultate erogat, lucretur Jubilæum ? Utrum qui eleemosynam suis facultatibus non proportionatam ?

IX.—Ut navigantes et iter agentes prorogatione Jubilæi frui possint, an requiratur ut per totum annum 1886 a loco domicilii absentes fuerint vel in certam stationem se non receperint ? An sufficiat ut per sex menses, vel, Jubilæo nondum lucrato, in fine anni per mensem vel duos menses absentes, etc., ut supra, fuerint ?

X.—Quodnam intervallum navigantibus seu iter agentibus, post reditum in locum domicilii vel accessum ad stationem fixam, concedatur ad implendum opera injuncta ? An spatium unius anni, an idem temporis intervallum quo per annum Jubilæi navigaverunt seu iter egerunt ?

XI.—Cum Bulla indictionis Jubilæi concedat eligi confessarium *ex actu approbatis*, nec addat *ab Ordinariis locorum*, an possit regularis regularem sacerdotem a solo superiore regulari, et non ab Ordinario loci approbatum eligere, atque ab eo privilegiorum vel facultatum Jubilæi applicationem recipere ?

Et Deus.....

N..... die 29 decembris 1885.

.....
Sacra Pœnitentiaria de speciali et expressa Apostolica Auctoritate, benigne sic annuente SSmo Dno Nostro Leone PP. XIII, propositis dubiis respondet :

Ad I^{um}. *Provisum per novas declarationes die 15 januarii 1886 editas.*

Ad II^{um}. *Quoad I^{um}, Confessarios hac facultate non carere ; quoad 2^{um}, Non expedire ; quoad 3^{um}, Sacra Pœnitentiaria declarat posse.*

Ad III^{um}. *Affirmative.*

Ad IV^{um}. *Clarius explicet.*

Ad V^{um}. *Provisum per declarationes Sacræ Pœnitentiariæ ut supra.*

Ad VI^{um}. *Stet epistolæ indictionis Jubilæi.*

Ad VII^{um}. *Affirmative.*

Ad VIII^{um}. *Confessarii consilium adhibendum esse ab iis qui de quantitate stipis sibi conveniente dubitant. Quantitatem vero ipsam catenus debere singulorum facultati respondere, quatenus quæ sufficit pauperibus, non sufficit divitibus.*

Ad IX^{um}. et X^{um}. *In præsentis Jubilæo nihil de prorogatione proponi.*

Ad XI^{um}. *Affirmative.*

Datum Romæ in Sacra Pœnitentiaria die 30 januarii 1886.

R. CARD. MONACO, P. M.

Hip. Cancus Palombi S. P. Secr.